Decretum

Parisien.

Beat.s et Can.is Ven. Servę Dei Magdalenę a S.to Josepho Ord.is Monialium Carmelitarum Excalceat. in Galliis Propagatricis

Hodiernus dies qui de Virtutibus Ven. Servę Dei Magdalenę à S.to Josepho Ord.is Carmelitarum Excalceatarum jamdudum instituto judicio finem dedit, cum Ordini universo gratus expectatusque venit, tum inprimis eiusdem Instituti Monialibus quę in Galliis sunt argumenta lętitię cumulavit.

Quamvis enim Idibus Octobris superioris anni, lato Sedis Apostolicę Decreto de Heroicis Virtutibus Ven. Servę Dei Marię ab Incarnatione, cuius cura, et consilio idem Ordo in Galliis constitutus fuerat, earum origenes admodum illustratę viderentur, maximam tamen decoris accessionem consequutę sunt ex pari S. Sedis judicio de vitę sanctitate Ven. Magdalenę, cuius potissimum opera, et studio tam late per eas Regiones Ordo propagatus est, ut ipsa quoque altera veluti parens à sacris illis Virginibus haberetur.

Eius itaque rebus pręclare gestis copiose in acta re=

Arch. S.C. pro Causis Sanctorum
Reg.Decr.Serv.Dei,1785-1791,ff.279-280.

rebus preclare gestis copiose in acta relatis et prestantissimorum testium, regiique sanguinis, testimonio gravissimo comprobatis, cum Causa eo perducta esset, ut juxta Sacror. Rituum Cong.nis disciplinam Virtutes eius singulatim perpendere oporteret, duplex de more habitus est Consultorum cetus, alter pridie Nonas Apriles Anni 1786 in Edibus Cancellarie Apostolice coram Celsitudine Regia Emi Card.lis Ducis Eboracensis nuncupati Epi Tusculani, et Cause Relatoris; alter IV. Nonas Decembres superioris Anni in Palatio Aplico Vaticano coram Rmis Sac. Cong.nis Card.bus Nuper tandem V. Idus Junias Generalia Comitia coacta sunt coram SSmo Dno Nro Pio Papa VI. in quibus Rmi Card.les, et Consultores uno ore Ven. Virginem heroicis virtutibus preditam judicarunt.

Etsi vero hanc Sac. Cong.nis sententiam SSmus Dnus Noster pronis auribus acceperat, adhuc tamen Deo preces adhibiturus, Cause definitionem distulit, et in hanc diem consultissime reservavit: cum enim hodie prisci cultus B. Marie V. in Monte Carmelo annua recolatur memoria; maxime decere videbatur, ut hanc

ipsam

ipsam diem, in qua inclyti etiam Carmelitani Ordinis primordia celebrantur, ad augendam eius Alumnæ gloriam, et ipsius Ordinis dignitatem amplificandam constituerit.

Accitis itaque in Templum S. Mariæ de Scala trans Tiberim Rmis Cardinalibus prædicto Causæ Relatore, et Archinto Sac. Congnis Præfo, necnon R. P. Carolo Erskine S. Fidei Promore, meque infrascto Secretio, cum rei divinæ religiosissime operam dedisset, rite definivit = Constare de eiusdem Ven. Servæ Dei Magdalenæ à Sto Joseph Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum, et Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum, de quo agitur.

Quod Decretum in vulgus emitti, et in Sac. Rit. Congnis Acta inferri jussit XVII. Kal. Augustas 1789.